



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. III. De nobilitate Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

## CAP. III.

*De nobilitate Christi.*

**A**DORANT homines nobilitatem generis, incredibili eius amore capti, quasi splendor quidam humanæ conditionis sit. Gloriantur antiquitate paucorum dierum, & rebus gestis maiorum suorum ipsi superbiunt: & tamē ob solam hereditariam nobilitatem amantur, & in admiratione habentur. Si ergo cor hominis tam facilè trahitur amore nobilitatis, quale consilium est, me qui sum ipsa nobilitas, non amare? Ego sum antiquus dierum, claritas ipsa, & candor lucis æternæ, quæ nullis nebulis obscurari potest. Sum altissimi filius, ante quem non est formatus Deus. Sum clarissimū Lumen de lumine, à quo splendor omnis creatus deriuatur, Nihil est in me, quod nō sit excelsum, & splēdidum: nihil, quod rege clarissimo non sit dignum. Nella obscuritas, nulla culpæ nota, nulla reprehensio, vel in me, vel in operibus meis vnquam inuenta est. Non habeo ego insignia nobilitatis, qualia homines ex

nes ex leonibus, vel Aquilis assumunt, vt significant animorum magnitudinē vel fortitudinem: ego enim sum ipsa magnitudo, & fortitudo, quæ non ornatur extrinseco apparatu. Ego feci, vt oriretur in Cælis lumen indeficiens: Ego æthera firmaui sursum, & libraui fontes aquarum. Ego quando carnem vestram è stirpe regia assumpsi, percussi sicut vulneratum superbum, mortem occidi, infernumque momordi. Ego eduxi vinctos de lacu, in quo non erat aqua, in sanguine noui testamenti mei: & portas æreas, vectesque ferreos in brachio excelso contregi. Ego alligauī fortem armatum, & spolia eius diripui: gloriosissimoque triumpho ascendens in altum captiuam duxi captiuitatē. Omnia opera mea, distincta saphiris quasi cælestibus signis, diuina nobilitate clarescunt. Considerate nūc filij, quā sim amabilis ex hoc capite nobilitatis, siue naturam diuinam, siue humanam, siue gesta mea contemmini: Vt mihi totis visceribus adhærere, & à me nunquam separari studiosissime curetis. Si feceritis quæ præcipio vobis

vobis accedentes ad me, illustrabimini  
cælesti nobilitate mea, quæ omnem  
infamix indignitatem maculamque  
detergit. Induam vos purpura arden-  
tissimæ charitatis, & bysso purissimæ  
innocentiæ meæ: vt inter patritios Ie-  
rusalem, qui vestiuntur croceis, nume-  
rèmini, & ornatu regio honestati,  
splendoribusque sanctorum amicti, in  
aula Regis Pacifici, cui seruiunt omnia  
corda nobilia in cælo, & in terra, al-  
tissimè conuersemini.

## CAP. IV.

*De liberalitate Christi.*

CERTISSIMUM vobis est, Adæ fi-  
lij, in liberalitate principum,  
magnum pondus amoris esse. Non e-  
nim puro illorum intuitu, sed lucri aut  
commodi vestri respectu seruitis durã  
seruitutem Iam ergo, si lucra sectami-  
ni sicut mercatores, qui quærunt, quæ  
sua sunt; vel hac ipsa ratione dili-  
gite me, & mandata mea fidelissimè  
seruate. Ego enim sum Dominus v-  
niuersorum, cuius thesauri exhauri-  
ri non possunt. Meus est orbis ter-  
ræ, & plenitudo eius, recensui  
omnia